



**Tractatvs De Præventionē Iudiciali [!], Sev De
Contentione Ivrisdictionvm**

Tonduti, Pierre François de

Lvgdvni, M.DC.LXXIII.

Capvt XLVII. Vtrum præuentioni locus sit inter Iudicem Ecclesiasticum & sæcularem, si Clericus coram Iudice laïco, vel è contra laïcus coram Iudice Ecclesiastico falsum testimonium dixerit. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98370](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98370)

nempe remittentem, & cum ad quem remissio pro examinandis testibus facta est, *ut ibidem num. 7.* Bald. concludit *in d. l. nullum*, ubi querit utrum punitus à Iudice Perusino, possit iterum puniri à Iudice Florentino, & utrum sententia vnius impediatur processum alterius, quod tamen hic non est discutendum, cum resolutum fuerit superius, dum de præuentione Iudicis loci delicti cum aliis iudicibus tractauimus.

11. Prædictis non est ab simile, quod si de mandato alicuius Iudicis Curie superioris habentis auctoritatem exequendi in terra Baronis, seu feudatarii, quidam fuisset per mutuos carceres detentus in vinculis, & intra illos carceres Baronis, alteriusve Iudicis carceres mutuantis, delictum aliquod commisisset, Iudex competens illius delicti erit magistratus ille de cuius mandato iste erat carceratus: quia cum Iudex ille cuius carceres mutuat sunt, solum auxilium facti præstiterit executioni, sequitur illius iurisdictionem, non fuisse prorogata per delictum illud intra carceres commissum, ut probatur ex notatis per Bart. *in l. à duo Pio 15. §. sententiam Roma, ff. de re iudic.* ubi dicit quod vnus Iudex auxilium alteri duobus modis præstare potest. Primo præstando illi auxilium iuris, veluti excommunicando vel interdicens, aut iurisdictionem denegando. Secundo per auxilium facti, puta concedendo familiam, milites sbirruarios, & similia, & tunc si quis resistat familie, aut aliam iniuriam inferat, non dicitur facta offensa secundo Iudici auxilium facti præstanti, sed primo, qui auxilium petiit. *¶* Ideo in casum appellationis, non recurritur ad superiorem præstantis auxilium, sed ad superiorem primi Iudicis, seu requirentis. Atque ita pro remissione causæ ad tribunal illius Iudicis qui executionem fieri mandauerat, decisum fuisse testatur. *Sanfelic. decis. 63. num. 13.*

13. Ego tamen duo circa hoc notanda esse existimo, Primum supradicta procedere quidem, quando agitur de duobus iudicibus sub eodem Principe, vel Superiore existentibus, prout erat casus illius *decis. 63.* sed si essent sub diuersis Principibus, illud non haberet locum, quia quilibet suam tueretur iurisdictionem, & ille qui præ manibus haberet delinquentem, ipsum puniret, nec ad alium remitteret, ideo doctrina illa Baldi de Iudice Perusino & Florentino vera quidem est, sed difficile esset illam ad praxim reducere, quia cum sint sub diuersis Principibus, vnus alteri falsum testem nolle remittere, sed qui præuenerat in capturâ procederet, & si vtroque reuelleret contumax, vtroque contra eum ratione contumacie procederetur, ut diximus *hac eadem parte 2. dum egimus de præuentione Iudicis loci delicti cap. 11. n. 22.*

14. Supradictis non est dissimile, quod dicitur de Iudice requisito, qui si excedat limites suæ commissionis, aut aliter peccet circa executionem, non recurritur ad superiorem Iudicis requirentis, nec ad ipsum Iudicem requirentem, sed ad Superiorem Iudicis requisiti: Molinus *de brachio seculari cap. 16. num. 3.*

Secundum est, quod quamuis delictum factum fuerit intra carceres mutuos, & is de cuius mandato fuit carceratus, cognoscere possit de delicto intra carceres illos commissio, hoc tamen non obstat Iudici ordinario illius loci in quo delictum commissum est, quominus possit de delicto illo cumulariue cognoscere cum Iudice mandante fieri executionem, & per consequens locus erit præuentioni, idque maxime si agatur de carceribus Baronis, seu

feudatarii, cum omnimoda iurisdictione inuestiti. Quia delinquens etiam si non sit subditus, tamen cenetur se submittere foro & iurisdictioni illius in cuius loco vel territorio delinquit, *leg. Imperatores, ibi. Tu te huic pena subdidisti, ff. de iure fisci. Gl. in l. 1. §. ad bestias, in verb. onerariis, ff. de postul. Molin. de brach. secul. lib. 3. cap. 40. num. 6.* Cum igitur vterque Iudex habeat iurisdictionem, poterit vterque de tali delicto cognoscere. Erit itaque præuentioni locus ex notatis per Vincent. de Franch. *dicta decis. 147.* Et faciunt à simili quæ superius dicta sunt de delicto intra Ecclesiam commissio, quod esse mixti fori & in eo locum esse præuentioni demonstrauimus.

Sed queritur quid si apparitor fecerit relationem se citasse in territorio Baronis auctoritate supreme Curie, & tamen non citauit. Vtrum officiales Baronis de hoc delicto cognoscere possint. Quæstio illa non potest in Comitatu Venassino locum habere, cum ex statuto illius Comitatus, Officiales in officio delinquentes per solam supremam Curiam puniantur, & priuatiue iudicentur, ut diximus *p. 1. cap. 11. n. 26. versic. Quinto.*

Semora autem statuti dispositiones, verius est solum Iudicem committentem, de hoc delicto & falsitate cognoscere & iudicare posse, absque eo quod Iudex vassalli se possit de hoc intrinsecare. Et ratio est, quia cum in effectu citatio facta non fuerit, illa non est ens, & per consequens non circumscribitur loco seu territorio, sola autem relatio est ens. Igitur attendi debet locus in quo talis relatio facta fuit. Ergo Iudex coram quo nuncius vel apparitor, falsam illam relationem fecit, solus & priuatiue, non autem præuentione cognoscit: Bald. *d. l. nullam, 12. C. de testibus.*

C A P V T XLVII.

A R G V M E N T V M.

Verum præuentioni locus sit inter Iudicem Ecclesiasticum & secularem, si Clericus coram Iudice laico, vel è contra laicus coram Iudice Ecclesiastico falsum testimonium dixerit. Et utrum pendente accusatione falsi coram vno ex istis iudicibus, alius ad expeditionem causæ Civilis possit procedere, & Ecclesiasticus laico Iudici ne ad vltiora in illa causa procedat inhibere. Et post punitum laicum à Iudice Ecclesiastico, Iudex laicus iterum punire queat. Et an sententia hoc casu per Ecclesiasticum lata producat exceptionem rei iudicatæ in foro laicali. Quid si subditus Vassalli omnimodam iurisdictionem habentis falsum deposuerit in suprema Curia, vtrum huius delicti cognitio spectet ad Baronem seu Vassallum priuatiue vel præuentione. Et multa seu confiscatio verum ad Vassallum vel ad supremam Curiam pertinere debeat. Iudex delegatus vtrum cognoscere possit de falsitate coram ipso commissâ.

SVM

SUMMARIVM.

- 1 Clericus falsum deponens coram Iudice laico, non potest ab eo puniri, sed causa prauentionis non prauentionis spectat ad Iudicem Ecclesiasticum.
- 2 Causa falsitatis Clerici coram Iudice Ecclesiastico pendente, Iudex laicus interim non prohibetur de illa falsitate cognoscere non ad effectum puniendi, sed ad expeditionem sue causae Civilis.
- 3 L. nullum 12. C. de testibus, procedit suppositis terminibus habilibus, & data capacitate iudicis, coram quo falsitas commissa fuit.
- 4 Ecclesiasticus non potest inhibere Iudici laico expeditionem causae Civilis, sub praetextu quod coram eo pendeat iudicium super falsa depositione Clerici, coram laico Iudice facta.
- 5 Si laicus coram Iudice Ecclesiastico falsum deponat, crimen est mixtum fori, & locus est prauentioni.
- 6 Iudex secularis potest procedere ad punitionem laici, qui coram Ecclesiastico falsum deposuit, non obstante punitione extraordinaria, & sententia Iudicis Ecclesiastici.
- 7 Testis falsus laicus, deponens coram Iudice Ecclesiastico, puniri potest per Iudicem secularem, quamuis laicus fuerit definitus absolutus in tribunali Ecclesiastico.
- 8 Vassallus habens omnimodam iurisdictionem, cognoscit de falsa depositione sui subditi facta in supremâ Curia.
- 9 Multae & confiscationes sunt fructus iurisdictionis, & spectant ad Vassallum, excepto crimine laesae Maiestatis.
- 10 Multa quamuis ex edito Principis proueniant, spectant ad Vassallum eiusdem Principis de feudo cum iurisdictione inuestitum. Sed ex sententiâ aliquorum locus est prauentioni.
- Et quae sit hac in re Rota Romana sententia.
- 11 Iudex Delegatus, quibus concurrentibus possit cognoscere de falsa depositione coram ipso facta.
- 12 Indistincte Delegatus, de falsitate coram illo facta cognoscit, si ex ipsâ impediatur eius iurisdictioni.



ACERDOS quidam, seu Clericus, ex licentia sui Episcopi, coram Iudice laico testimonium perhibuit, quod falsum esse praetenditur, eaque de causa Criminali iudicio impetitur: quaeritur vtrum coram Iudice Ecclesiastico, an vero coram laico coram quo falsitatem commisit, debeat causa illa tractari, & vtrum hoc casu locus sit inter duos istos Iudices prauentioni. Similiter si laicus coram Iudice Ecclesiastico falsum deposuerit, vtrum prauentioni inter duos istos Iudices locus sit.

- 1 Prima conclusio. Si Clericus coram Iudice laico falsum deponat, non potest super huiusmodi falsitate procedi coram Iudice laico, sed causa ad Iudicem Ecclesiasticum omnino remitti, & coram eo tractari & terminari debet. Haec conclusio communis Doctorum calculo, recepta est, vt testantur Peguer. decis. 79. n. 5. Roland. consil. 12. num. 48. vol. 2. Couar. practic. quest. cap. 18. n. 8. vers. Octauo. Boss. in praxi crimin. tit. de fals. n. 110. Clar. §. fin. q. 38. n. 14. Farinac. de accusatione, quest. 26. num. 26. Afflict. decis. 230. & ibi Vrsill.
- 2 Non tamen impeditur Iudex laicus, procedere ad vltiora in causâ principali, non obstante lite super falsitate illâ coram Ecclesiastico Iudice pendente, non quidem ad effectum puniendi Clericum

Sanlegerij de Praeuent. Iudic. Pars II.

deponentem; sed tantum ad expediendam negotij principalis coram ipso moti decisionem, Iul. Clar. in dicta quest. 38. n. 14. vers. Bene potest Index laicus. Couar. dicto cap. 18. in fine vers. Illud vero existimo. Carol. de Grass. de effectibus clericatus effectum 1. n. 1147. & 1151. Peguer. dicta dec. 79. n. 5. Farinac. de testibus, q. 67. n. 57.

Neque obstat dicta l. nullum, 12. C. de testib. Quia intelligenda est, suppositis terminis habilibus, nempe quando agitur de Iudice, qui capax est exercendi iurisdictionem contra personam falsum deponentem, qualis non est Iudex laicus contra personam Clerici falsarij. Ita dictam leg. exponunt DD. mox allegati. Quod adeo verum est, vt si Iudex Ecclesiasticus, inhibeat Iudici laico, de expediendo causam principalem sub praetextu falsitatis praedictae, male faciat, & hoc casu illius inhibicio sustineri de iure non possit: Lancellor. de attent. post inhibiti. c. 20. in praefatione, quest. 3. num. 88. & 89. quia licet causa falsi testis, criminaliter mota, sit praedudicialis Ciuili, non tamen hoc casu suspensionem eiusdem causae Ciuilis operatur, propter diuersitatem vtriusque iurisdictionis cuiuslibet ex istis iudiciis competentis aequè principaliter: Couar. dicto cap. 18. num. 8.

Secunda conclusio. Quando testis laicus coram Iudice Ecclesiastico falsam depositionem fecit, puniri potest, & condemnari tam à Iudice Ecclesiastico, quam laico, seu seculari; & inter ipsos locus est prauentioni: siquidem Ecclesiasticus de hoc crimine cognoscens, suam fundat iurisdictionem in eo, quod laicus coram ipso deponendo, iurisdictionem ipsius tacite prorogauit. Secularis autem, in eo quod delinquens est ex se suppositus iurisdictioni suae: ita declarat Afflictus dec. 219. num. 3. & ibidem Vrsill. in Addit. num. 1. Peguer. decis. 79. n. 6. vers. Sed scias quod in hoc casu Farinac. de accusat. q. 8. n. 27. & de testibus, q. 67. n. 31.

Imò quamvis hoc casu Iudex Ecclesiasticus praeuenierit, & poenam extraordinariam, & delicti punitioni minus sufficientem imposuerit, poterit non obstante praeductione, & sententia Iudicis Ecclesiastici, procedi per Iudicem laicum ad poenam competentem huius delicti contra istum suae iurisdictioni suppositum, falsitatem committentem coram Iudice Ecclesiastico: Peregr. d. decis. 79. n. 6. Farinac. de testibus q. 67. n. 32.

Et quod plus est, sententia per Iudicem Ecclesiasticum lata, non parit exceptionem rei iudicatae erga Iudicem secularem, nec impedit quominus ipse delinquentem ad poenas condignas condemnare possit, non obstante quod Iudex Ecclesiasticus sententiam absolutoriam in fauorem huius deponentis protulisset, si sibi de delicto constiterit per probationes fortiores coram se factas: Afflict. d. dec. 219. ad finem; Farin. de testib. d. q. 67. n. 32.

Tertia conclusio. Si agatur de Vassallo inuestito cum omnimodâ iurisdictione, cognitio huius delicti, & emolumentum poenarum ad eum spectat, quamvis delictum falsae depositionis per eius subditum coram supremo Iudice, vel alia falsitas facta fuerit per laicum, veluti per productionem scripturae falsae, aut alio modo. Hanc conclusionem variis modis comprobatur Theaur. decis. 266. per totam. cuius dicta hic repetere superfluum esset.

Quoad emolumenta, multas, & confiscationes, non videtur dubitandum, quia isti sunt fructus iurisdictionum, & ideo spectant ad Dominos iurisdictionales, exceptis criminibus laesae maiestatis diuinae, & humanae: Rosental. de feudis cap. 12. concl. 5. in.

G g 2

in gloss. l. i. c. 1. Farinac. question. 25. numero 103. & sequentibus, Bayardus ad Clarum quest. 78. num. 134. Guid. Pap. quest. 76. num. 134. & ibi Ad-
dentes.

10 Quod extenditur ad pœnas ex edicto Principis descendentes: vt per Thesaur. dicta decisio. 266. numero 6. qui subdit. Principem non debere facere gratiam alicui subdito Domini iurisdictionalis in præiudicium ipsius, & pœnarum eidem domino debitarum. vt per eundem, n. 10. Amed. à Pont. in quest. Laudimial. 24. colum. 3. Quamquam nonnulli DD. existimauerint locum esse hoc casu præuentioni, vt ibidem refert Thesaur. n. 13. iuncto num. ultim. versic. Senatus post multas, vbi dicit in casu suo causam coram Senatu tractatam fuisse ex eo quod Senatus præuenerat multam tamen pro medietate Baronis, seu Vassallo, & pro aliâ medietate fisco Principis fuisse adiudicatam. Sed Rota Romana indistinctè tenet, in casu confiscationis prouenientis ex contrauentione aduersus edicta Principis, bona sita in territorio Baronis applicanda esse fisco Principis, cuius edicto contrauentum fuit, non autem fisco Baronis; vt copiosè probatur in Romana Confiscationis. 14. Junij 1624. quæ est decisio 124. apud Merlin. & in recentior. decision. 449. parte quintas. tom. 2.

11 Quarta conclusio. Si agatur de Iudice delegato, non datur illi facultas cognoscendi de falsitate coram ipso commissâ non solum priuatiuè, sed nequidem præuentione, seu cumulatim, nisi duobus concurrentibus. Primo quod sit delegatus Principis, & non alterius inferioris. Secundo quod idem delegatus sit delegatus cum potestate de causâ criminali cognoscendi, secus si esset dumtaxat delegatus in causa ciuili, tunc enim nullam haberet facultatem cognoscendi de falsitate commissâ coram ipso, propter defectum iurisdictionis. Ista conclusio quoad omnes eius partes benè comprobatur per Farinac. de testibus dicta question. 67. numero 46. & multis sequentibus usque ad 54. Indistinctè tamen iudex delegatus procedere posset in causâ falsitatis coram ipso commissæ, si per talem falsitatem eius iurdictio impediretur, secus si eius iurdictio non impediretur, hoc enim casu cognitio & punitio falsitatis coram delegato commissæ spectaret ad Iudicem ordinarium: Abb. in cap. præterea, de offic. & potest. iudic. deleg. numero 4. Et ibidem Bald. & Decius. Quod etiam voluit Bartol. in dicta leg. nullum, in 3. notabili, Codic. de testibus. Angel. in leg. si lis, Cod. de fals. Impediretur autem eius iurdictio si ageretur de casu, in quo committens falsum amittit causam, aut si eius iurdictio propter istam falsitatem sperneretur, aut si talis sit falsitas vt Index delegatus, sine illius decisione non posset procedere ad suæ delegationis executionem, talisque sit vtriusque causæ conglutinatîo, vt cognitio causæ principalis à cognitione huius falsitatis separari non possit, leg. cum actum, & ibi Bartol. & Castrenf. Digest. de negot. gest. caput. translatum. vbi Baldus & Dec. de constitut. atque ita determinat per multas rationes & auctoritates Camill. Borell. consil. 78. numero 11. & per totum.

CAPVT XLVIII.

ARGVMENTVM.

Episcopus à sua Diœcesi per vim expulsus, sicut potest in alienâ Diœcesi iudicare, petita, quamvis non obtenta licentia, vtrum possit etiam causas præuenire in præiudicium illius Episcopi in cuius Diœcesi commoratur. Quid si Episcopus non expulsus iurisdictionem exerceat in aliena Diœcesi contentiosam, vtrum præuenire possit causas in præiudicium illius qui talem licentiam concessit. Et vtrum possit hanc iurisdictionem contentiosam extra Diœcesim exercere etiam consentiente Episcopo illius Diœcesis, si subditi comparere nolint. Quid si expulsus possit per Vicarium in sua Diœcesi exercere. Et quid si Episcopus non fuerit expulsus, sed veniens ad suam Diœcesim non fuerit admissus.

SVMMARIVM.

- 1 Episcopus à Diœcesi suâ expulsus, & ad alienam confugere coactus potest in alienâ, in subditis iurisdictionem contentiosam exercere, petita prius licet non obtenta licentia.
- 2 Episcopum, cui licitum est in alienâ Diœcesi iurisdictionem contentiosam exercere, non posse vi præuentione in præiudicium alterius Episcopi quidam existimant. Contrarium num. 3.
- 4 Episcopus potest ad libitum intra Diœcesim alterius Episcopi exercere actus voluntariae iurisdictionis veluti conferre beneficia, & similia.
- 5 Consentiente Episcopo alterius Diœcesis, potest exerceri Episcopalis iurdictio contentiosa, intra ipsius Diœcesim.
- 6 Subditi tamen Episcopi non possunt inuicem trahi extra Diœcesim sui Episcopi, etiam si id fieret de licentia Episcopi illius loci nisi in casum expulsus Episcopi.
- 7 Consensus per Episcopum præstitus in fauorem exercitæ iurisdictionis alterius, in sua Diœcesi, non extenditur ad casum quo iste Episcopus externus veller vi præuentione contra ipsum.
- 8 Præuilegium Episcopi expulsus, vt in alterius Diœcesi iurisdictionem exercere possit, non habet locum quous ipse iurisdictionem intra propriam Diœcesim exercere potest.
- 9 Si Episcopus fuerit receptus in possessione sui Episcopatus, sed postea veniens non fuerit admissus, habet idem præuilegium exercendi iurisdictionem in aliena Diœcesi, sicut Episcopus expulsus.



Episcopus per vim à suâ Diœcesi expulsus & coactus ad alterius Episcopi iurisdictionem confugere, potest ex dispositione Clem. un. de foro competente. Iurisdictionem exercere in alienâ Diœcesi, petita, quamvis non obtenta Episcopi illius loci ad quem confugit licentiâ, & Quæritur itaque, hoc